



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamen Illustrissimi ac Reverendissimi P. Mag. Fr.
Gabrielis Adarzo de Santander, Episcopi Viglevanensis,
Ad Interrogata respondens Circa Exclusivam, quandoque
à Principibus interpositam, ne ...**

Adarzo, Gabriel

Francofurti, 1660

Zelat Dei honorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10517

nec pertinet ad electionem positivam, nec eam ingreditur, sed omninò eam antecedit: nec est sæcularibus interdicta (quod est finis & scopus hujus dictaminis) sed concessa, aut ad minus permissa; ut expressè probabo Sectione sequenti, cum de hoc sermo redibit.

S. VI.

Exclusivæ honestas roboratur ex dictis, & quòd sit actus imperatus à charitate, suadetur.

67 **L**ucem sortientur, quæ diximus, non exiguam Lex iteratâ confirmatione Exclusivæ. Suppeditat autem Ecclesia robustum ad id fundamentum, verbis illis quibus sæculares provocat, ut de Ordinandorum moribus testimonium ferant, Videlicet, *pro Deo & propter Deum, exeat & dicat*: ex quibus tale conficium argumentum.

Exclusiva Zelat Dei honorem.

Zelare Dei honorem, & exercere charitatis actum sunt actiones honestæ, & laudabiles: sed qui indignum arcet ab officio ecclesiastico, impediendo ne illud obtineat, zelat honorem Dei, & exercet actum

actum charitatis: ergo honestè & laudabiliter facit: atqui hoc facit Princeps Exclusivam interponens. ergo facit honestè & laudabiliter. Minor probatur ex illis verbis Ecclesiæ jam datis, videlicet *si quis igitur habet aliquid contra illos (nempe promovendos) pro Deo & propter Deum , cum fiduciâ exeat & dicat : sed his verbis denotatur , quod dare testimonium contra Ordinandos de criminibus eorum, est zelus divini honoris, & actus charitatis; Ergo.*

Minor probatur; & primò quòd denotetur zelus divini honoris: nam domum Dei decet sanctitudo, & altare Dei ministri sancti: unde criminosi illud polluunt, dum ministrant & polluendo contemnunt, Deumque inhonorant, ut est tritum in sacris paginis, ergo qui à ministerio Ecclesiæ & Altaris criminosum & indignum ministrum removet, zelat honorem Dei, cujus est Ecclesia, & Altare: Præterea phrasis illa *pro Deo zeli* emphasim præfert, *zelatus sum pro Domino Deo exercituum*, dixit Elias 3. Reg. c. 19. v. 10 & 14: id ipsum etiam constat ex verbis Mathathie ad Filios suos, *date animas vestras pro testamento*: & dicit Spiritus Sanctus 1 Machabeorum cap. 2. quod zelando legem, hæc proferebat; sicut & zelabat DEI honorem, cum Judæum volentem idolis sacrificare interfecit.